

dem cum earum definitionem accuratam non possumus afferre, patet vocabulis illis confusas jungi notiones: quia tamen satis constat, quo in casu adhibenda sint, licet nulla definitione utamur, iisdem claras notiones jungamus necesse est; quare vulgares Ontologicæ notiones confusæ veluti quandam Ontologiæ naturalis speciem constituunt. Quemadmodum ergo Logica artificialis est distincta explicatio Logicæ naturalis, ita explicatio distincta Ontologiæ naturalis dici potest Ontologia artificialis, nempe notiones confusas, quæ sunt Ontologiæ naturalis, ad distinctas revocat Ontologia artificialis, & propositiones vagas ad determinata reducit.

C A P U T I.

De principiis Ontologiæ.

A R T I C U L U S I.

De principio Contradictionis.

I. **E**AM experimur mentis nostræ naturam, ut dum judicat aliquid esse, simul judicare nequeat idem non esse. Hinc fit, ut naturæ mentis nostræ conscii sine probatione concedamus hanc propositionem terminis generalibus expressam: *Fieri non potest, ut idem simul sit, & non sit.* Propositio hæc dicitur *principium contradictionis*; nimirum contradicere sibi metipso dicitur, qui idem simul esse, & non esse pronuntiat. Principium illud Aristoteles, &